um verius, quod in Regia persona admissum, planè exsecran-
dum esse? O vos verò boni cives, annon stupuistis, annon ad
ictum nefariæ illius securis expalluistis! Excusatos tamen vos
habeo: habent et mecum vos alii pii viri excusatos. Nam
qui oculos claudebant, qui aversos tenebant vultus, ne tam
horrendo spectaculo offenderentur, non impunè id ferebant.
Qui mirabantur insolentiam, qui stupebant, qui ad ictum car-
nificis expallescebant, ipsi pugni, vel calcis, vel fustis ictum re-
portabant. Qui moestitiam deniq vultu aut gestu aliquo velo-
ce declarabant, male mulctati recedebant. Verbera infligeban-
tur ingemiscentibus et flentibus. Non enim ferebat hoc mi-
litum protervitas, ut tantum scelus cives non siccis intue-
rentur oculis. O crudelitatem crudelissimam! O diritatis
atq tyrannidis veteribus penitus inusitatum, novum ac in-
auditum genus! De Adjunctis ejusdem facinoris, quid in hoc
orationis cursu dicam? Etenim sive τὰ ὑποστατικὰ, sive
τὰ περιστατικὰ inspiciamus facti, Deum in eo esse offen-
sum videmus: videmus religionem violatam, Rempublicam
læsam, Ecclesiam esse turbatam; jura omnia et leges subver-
sas esse videmus. Annon ita est, ô perversi Alastores, ô per-
diti ac profligati homines, quod imaginem Dei in Rege vestro de-
struxistis? Destruxistis omninò illam, dum CAROLUM securi
percussistis: voluntati juxta hæc divinæ, per quam Reges domi-
nantur, temerè vos opposuistis: religionem Christianam,
quæ præcipit, ut potestatibus summis obediamus, frivolè neglexi-
stis: colluviem omnium sectarum, protectore religionis subla-
to, malitiosè introduxistis: graviter Rempublicam legitimum
ejus dominum ac Principem nefariè tollendo, læsistis: ar-
ma contra Regem capiendo, vel eum incarcerando, accu-
sando, condemnando leges omnes ac jura violastis! Ita sci-
licet reclamat immanissimo facto jus naturæ, utpote quod pa-
rentes inter se et Imperantes conciliat. Unde et pro portento
atq monstro certissimo habetur, quisquis sub specie et figura ho-
minis immanitate bestias sic vincat, ut, cui lucem hanc serenissimam
quam olim aspexit, post Deum unicè [illegible] et indignissimè eundem [illegible]
privet. Reclamat eidem facto jus Gentium, utpote quod in
Regno supra mille abhinc annos retrò hæreditario legitimi
successoris atq hæredis rationem habere docet, quam [illegible]
una